

Quæ profana tempora et quo ordine in quartum librum Regum inciderunt.

Quæ in hoc libro quarto continentur, firmiter duxerunt à Joram filio Josaphat, id est, anno ab orbe condito 3935, ut nonnulli volunt, et ut placet aliis, anno 3280, de quâ remira est inter auctores dissensio. Et insuntur in anno Sedecie undecimo, quo tempore existitum est templum, et excisa funditus Hierosolyma. Quare liber hic annis absolvitur ferme 400.

Sub Joram rege Juda, fuit alter Joram rex Israel, et Eliseus propheta. Hoc anno obisse existimatur Homerus anno post captam Trojam 272; et Lucretius, qui prius dicebatur Abula, vocatus esse Tiberis, à Tiberino Latinorum rege, qui ibi summersus est. Huic successit frater Oseias, qui uno tantum regnavit anno, et huic Athalia mater, quæ regnum sexennio moderata est. Quo tempore regnavit in Israel accubante: « Quoi! l'Éternel prodigue les miracles, les plaies et les meurtres pour tirer les Juifs de cette féconde Egypte où il avait eu les temples sous le nom d'Isis, le grand être, sous le nom d'Isis, l'Étre universel: il condait son peuple dans un pays où ce peuple ne peut lui ériger un temple pendant plus de 300 ans; et enfin quand les Juifs ont eu ce temple, il est détruit (il avait dit au premier 427 ans après) Cela, continue-t-il, est le jugement et l'imagination. » — Qui se serait jamais attendu que les entrailles de ce écrivain se fussent si fort émus à la vue des malheurs du peuple le plus détestable et le plus imbecille qui fut jamais? Tâchons donc de lui présenter quelques idées consolantes: ce temple détruit, Jérusalem en proie aux flammes, toute la nation juive dispersée, tout est rétabli au bout de soixante-dix ans, conformément aux prédictions réitérées de ce fou de Jérémie qui faisait le prophète. Les peuples voisins, Moabites, Ammonites, Iduméens, compagnons de leur infortune, disparaissent pour toujours: les Assyriens et les Chaldéens, auteurs de leurs malheurs, cessent d'être; mais ces Juifs, renaissant comme de leurs propres cendres, forment de nouveau une société politique et religieuse. Les Perses, sous la protection desquels ils rentrent dans la terre de leurs pères; l'antique monarchie d'Égypte qui a été leur berceau; les rois macédoniens de Syrie, devenus leurs oppresseurs, tous s'évanouissent successivement; pour eux, ils subsistent en corps de nation dans leur terre natale, avec leur temple, leurs cérémonies, jusqu'à l'avènement de celui qui devait appeler tous les peuples à un culte fondé sur leurs dogmes, sur leur morale, sur leur attente, mais plus parlait que le leur. Tel est le dénouement de cette histoire merveilleuse, inconnue, mais écrite par des auteurs contemporains, et attestée par une chaîne non interrompue de témoins. (Duclos.)

Jehu filius Namsi, qui domum abolevit Achab, et floruit Jonadab Rehabitatum princeps, hoc tempore à Didone creditur edificata Carthago.

Joas in Judâ annos regnavit quadraginta, quo tempore regnârunt in Israel Jehu, Joachaz et alter Joas. Hoc tempore occisus fuit in templo Zacharias filius Joiade sacerdotis; tunc autem, ut refert Historia Scholastica ex Epiphonio, apud quem tamen ego non invenio, cessavit manifestum Dei oraculum ex Ephod et Debir, id est, de interiori parte tabernaculi; polluto enim templo innocenti sanguine, indignus videbatur populus quem Deus tali dignaretur honore. Sub hoc tempus floruisse creditur Lycargus, à quo Lacedæmones leges acceperunt.

Huic successit Amasias, cujus tempore regnârunt in Israel Joas et Jeroboam illius filius. Prophetârunt Joel et Amos. Magnam à Joas rege Israel detrimentum accepit Hierosolyma.

Ozias, qui et Azarias, annos regnavit quadraginta, cui in Israelis regno *obviam* fuerunt Jeroboam filius Joas, Zacharias, Sellum, Manahem, Phacæa. Prophetârunt Jona, Amos, Oseas, Abdias, Isaias. Sub Ozia accidit terræ motus, de quo Amos e. 1. Sub hoc rege instituta sunt Olympiades, et defecti tempus, quod *pascha*, id est, fabulosum dicebatur, et indoctum est *terrestris*, in quo notatis temporibus plus habuit fidei, quod literis deinceps mandatum est. Sub hoc tempus vixit Sardanapalus, in quo Assyriorum monarchia defecit, juxta Eusebium, quem ex recentioribus multi sequuntur.

Joathan rex Juda Ozia successit, cujus tempore regnavit in Israel Phacee filius Romelia. Prophetârunt, præter alios, de quibus proxime, Nahum et Michaas. Arsaces, victo Sardanapalo, Assyriorum monarchiam ad Medos transtulit. Nati sunt duo fratres Romani imperii prima capita, et civitatis imperii tanti reginæ conditores.

Sub Achaz Phacee, filius Romelia, et Osee regnârunt in Israel, in Damasco Rasin. Sub Achaz subjugata est Damascus ab Assyriis, et magna pars regni Israëliti ad Assyrios translata à Thegabphasasar, et urbis Romanae jacta fundamenta.

Sub Ezechia regnavit Osee in Israel, cujus anno nono et Ezechie sexto capta est à Salmanasar Samaria, et regnum Israel prorsus extinctum anno 550 ex quo sumpsit exordium. Sub hoc captivus in Ninive abductus est Tobias. Sub hoc rege, Sardanapalo occiso, est-

stimatur Assyriorum imperium defecisse. Floruit Sibylla Erythraea, ut ex aliorum sententiâ refert Aug. lib. 18 de Civitate cap. 25, et septem sapientes, ex eodem ibidem capite 24, licet alii conferant in tempus Manasse. In hoc tempus incidit regnum Mida apud Phrygios, et apud Lydios Candaulis et Gygis, ut auctor est Eusebius.

Sub Manasse fuisse existimantur septem Græciæ sapientes, Alceus, Simonides, et Archilochi poeta. Regnavit Romæ Numa, qui duos annos vulgari menses adiecit. Sub Manasse contigisse creditur historia Judith, Floruit Sibylla Samia. Isaias moritur. Amon, Manasse filius, duobus regnavit annis. Neque sub eo aliquid accidit, quod referatur vel ad Manassem parentem, vel ad Josiam filium.

Sub Josia prophetârunt Jeremias, Baruch, Sophonias, et Oda prophetissa. Regnat Romæ Ancus Martius, et Tullus Hostilius; florent Thyrtæus, Aristomenes, Arion musicus, Zalcæus legislator, Phalaris tyrannus, Terpanther musicus, Sappho, et Stesichorus poeta.

Josia successit Joachaz, qui tribus regnavit mensibus, et Joachim, qui undecim annis, et Jehonias, seu Joachin, cujus trimestre regnavit. Sub his tribus graviter afflicta fuit, atque attrita tam ab Ægyptis quam à Chaldæis res Judaica. Ducti sunt captivi Babylo-nem Daniel cum aliis tribus pueris, Ezechiele et Marдохæus. Sub his regibus vixisse existimantur Draco legislator, Anacharsis Scythæ, Epimenides, Anaximenes, Xenophanes. Sub hoc tempus vixisse existimatur Æsopos fabulator.

Sedecias post hos undecim annis regnum obtinuit Israel. Sub illo templum Salomonis exstium, et excisa funditus Hierosolyma fuit. Externa tempora explicuit satis Augustinus lib. 18, cap. 25 de Civitate. Cujus hæc verba transferam, carptim tamen, à quibus parum discrepat Eusebius. Sic autem ibi Augustinus: « Regnante apud Hebræos Sedecia, et apud Romanos Tarquinio Prisco, qui successerat à Anco Martio, ductus est captivus in Baby-

loniam populus Judæorum, eversa Jerusaleme et templo illo à Salomone constructo. « Hoc tempore Pithacus Mitylenæus unus de septem sapientibus fuisse perhibetur, et quinque ceteros, qui ut septem numerantur, « Thaleti, quem supra commemoravimus, et « Chulic Pitæos adduntur, eo tempore fuisse « scribit Eusebius, quo captivus Dei populus « in Babyloniâ tenebatur. Hi sunt autem Solon « Atheniensis, Chilo Lacedæmonius, Periander « Corinthius, Cleobulus Lendius, Bias Priæ-næus. Eo captivitatis Judaicæ tempore et « Anaximander, et Anaximenes, et Xenophanes physici claruerunt. Tum et Pythagoras, « ex quo coepit appellari philosophi. »

Hic est finis Commentariorum in quatuor libris Regum, in quos à me neque segnis, neque paucorum dierum opera collata est, utinam cum aliquo tanti laboris pretio. Quod tunc fore judicabo non exiguum, cum lectori pio aliquem usum attulisse cognovero, cui quam maximè potui, accuratè servivi. Sed illud erit maximum, quodque præcipuè religiosus scriptor spectare debet, quodque ego, si non meum mihi de me ipso judicium illud, expectavi in hoc longo atque impedito negotio, si Dei honori et proximorum utilitati serviat. Tunc autem satis abundè factum erit studio nostro. Si quid opere in longo peccatum à me fuerit, ignosci mihi postulo, atque etiam spero ab illo qui mentes hominum scrutatur et novit. Neque quicquam esse volo, aut in his libris, qui nunc in hominum oculis subire student, aut aliis, qui jam ante in publicum lucem prodierunt, quod non solum Ecclesiæ, à quâ nec latum unguem aberrare volo, sed doctorum hominum censura subjectum esse etiam atque etiam volo.

Inchoati fuerunt hi in quatuor libris Regum Commentarii Complanti anno 1620, ad nonas Januarii, et anno 1622, ad idus martias absoluti, ad gloriam Dei, et B. Virginis, S. Ignatii, Patris mei, et S. Francisci Xaverii, quos mihi ad hoc opus patronos et tutelares advocavi.

DE THESAURIS A DAVIDE SALOMONI RELICTIS

Dissertatio.

Quicumque Judæos principes reges fuisse levis momenti arbitrantur, rati nihil esse potuisse magnificum illis qui in populo re-

gnarent obscuro nominis et census, cujus solæ opes ex proveniunt terræ et gregum contentent, nihil sentirent magnificum, nihil volu-

ptuosum, nihil nisi humile, insignium gestorum gloria raro distinguerentur, nec nisi cum totâ ditioe suâ in prælium armatâ expeditiones susciperent, ac tandem regnum haberent augustissimis finibus contractum, magnis robur vel cogitandis vel præstandis impar; quicumque, inquam, ita de regibus Juda senserunt, falli illos certissimis argumentis in hac dissertatione adductis, demonstrabimus. Immense planè opes à Davide cumulatae, quae templo ædificando servirent, eae sunt, ut nihil fortassè aequè mirum veterum ac recentiorum historiae ferant: quare doctissimi quique Scripturae interpretes, ii maximè qui ad studium ponderum et mensurarum, et rei nummariae veterum, totos se contulerunt, admirationes eâ de re suas continere vix possunt. Incredibilis adeò visa res est nonnullis, ut rei granditate exterriti, rationes inveniunt sanè ingeniosas, quibus immanis hic divitiarum thesaurus ad captum lectorum reformetur.

Censuerunt nonnulli, exaggerationis aliquid in Scripturae verbis haberi. Sed qui fieri id potuit, cum David etiam atque etiam oblationem suam verbis extenuare conetur, eosque thesauros veluti parimonie suae fractus reliquit? *Ecce ego in paupertate meâ præparavi impensas*, 1 Paral. 22, 14. An cum per exaggerationem loquitur quispiam, numerum unquam certum fixumque pondus divitiarum et auri determinat? Alii verò mendum irrepisse in numero talentorum suspicantur. Sed quam illi conjecturae suae rationem afferunt? An textum aliquem, an versiones, an exemplaria proferunt ulla, quibus suspicionem suam fulciant? Pro libito mendum suspicari, et non potius aperta necessitate premente, an quisque permittitur? Actum est de integritate sacri textus, si cum maximè extraordinarium aliquid occurrat, mendum suspicari liceret. Perique tandem, relicto talentorum numero, manus inferunt in valorem, thesauri pretium minuentes; aiunt enim ea quae David Salomonis legavit talenta, minoris aestimanda fuisse quam reliqua. Horum nos opinionem in examinem revocandam modò suscipimus.

Fatis cessurus David Salomonis filio suo, Scripturâ narrante legavit auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum, 1 Paral. 22, 14. Præter hæc, è cumulatis à se pecuniis reliquit tria millia talentorum auri de auro Ophir, et septem millia talentorum argenti probatisimi, ibid. 29, 4. Insuper principes aulæ Davidis in opus illud contulerunt auri talenta

quinque millia, et solidos decem millia, argenti talenta decem millia, loc. cit. v. 7.

Porrò argenti talentum omnino valebat 5000 siclis, quemadmodum ex testimonio Exodi 38, 23, 26, apertissimè constat. Narratur enim ibi, Israelitas 605,550 numero, hemisiclium viritum solvisse, quod summam conficiebat 500 talentorum argenti, et 1775 siclorum. Siclus autem reddit 32 solidos, quinque denarios, et tres ex octo denariis partibus. Valet igitur argenti talentum ad nostram monetam supputatum 4867 libris, tribus solidis, novem denariis. Talentum auri pervenit ad 69,551 libras, quinque solidos monetæ nostratis. Ita centies mille auri talenta à Davide relicta, summam conficiunt 6,955,125,000 librarum, ex auro. Adde his summam trium millium talentorum auri ab eodem Davide comparatam, quæ refert 208,595,750 libras monetæ nostratis.

Ex argento legavit decies centena millia talentorum, nempe 4,867,187,500 librarum monetæ nostratis. Præter hæc obtulit ex residuis sibi pecuniis 7000 talenta argenti, scilicet 540,070,512 libras. Hæc negotium conficiunt, utrum scilicet fieri potuerit ut David tantam argenti et pecuniæ vim cumulare, immanisque adeò divitiarum thesaurus totus profundendus esset in eâ quam animo complexus fuerat, ædificii mole.

Parâsse Davidem omnia quæ ad destinatum opus necessaria arbitrabatur, neminem in dubium revocaturum credo; ipse enim sepius mentem eâ de re suam aperuerat. Schema etiam, atque totius ædificii modulum Salomonis reliquit, quem sanè respondisse concepte de Deo opinioni, cuius numini parem, quantum fieri posset, domum construere parabat, non ambigimus quidem. Supremi illius Numinis majestatem respicere se David ipse professus est, cum ea se parare significavit, quæ tenuitatis suæ modulus pateretur; quâ verborum phrasi satis expressit, nullâ ædium majestate, quæcumque tandem illa futura esset, immani Numinis majestatem fore asecuraturum.

Paternum hoc propositum explèssè Salomonem, atque animo conceptam à Davide magnificentiam opere æquasse, satis constat. Quin et multò excessit: nam erecti ædificii moles multò fuit augustior quam moduli et schematis à Davide relicti ratio exigere. Nihil est in totâ antiquitate magnificentius, nihil augustius quam Salomonis templum. In eo pretiosissima metalla, ligna, et lapides rarissimi profusi sunt; nullis sumptibus parcebatur, ut peritis-

simi artifices conducerebantur, ut exquisitissimi artificii excellentia materiam ipsam vinceret, atque ad invidiam certaret et metalli et artificii præstantia. Verùm his ita constitutis, eruditi nostrates nunquam tamen in animum possunt inducere, tantam divitiarum vim cumulasse Davidem, neque totam in opere Salomonem profudisse. « Immanem summam, inquit Joan. Clericus hic, quæ omnium totius Asiae regum divitias multum superat, sufficissetque in aliis quot centena splendidissima templa ædificanda. » Nullæ quidem suppetebant Davidi avite relicte à parentibus divitiæ; nec tam immanes præbere poterat ditiois illius angustus sanè tractus. Interim cumulasse dicitur tantam auri argenteque vim, quantum nunquam collegerunt avidissimi quique reges Persarum, Græcorum et Romanorum. « Et quidem, inquit Brevevodus de Ponderibus c. 7, opus quod meditabatur minus erat quam tot immensos sumptus flagitaret. Ut parietes omnes à fuso argento conflati fuissent, ut eodem metallo totum templi pavimentum stratum esset, ut ædificii tectum totum esset aureum, eodemque metallo induti interiores templi parietes, et conflata vasa in usum templi necessaria, adjectis etiam sumptibus in artificibus, adhuc tamen reliqui multum superfuisset. Ego quantâ potui sedulitate, addit ille, atque animi contentione, dimensiones omnes templi expendi, tum et factâ comparatione cum auri et argenti thesauro, qui in opus insumendus esset, si omnia auro argenteoque constarent, post hæc, inquam, omnia, thesauros à Davide relictos superfluere animadverti. Itaque, claudit ille, fateatur oportet, aliud hoc loco significari talentum, quam quod vulgò usurpat apud Moysem, et reliquos Scripturæ libros. » Ita Brevevodus in suo opere de Comparatione veterum ac recentiorum numerorum.

Vehementius idem argumentum urgens Mariana, tract. de Ponderibus, insigni stultitiæ elogio donandos censet eos qui Davidis talenta Mosaicis æquare præsumant: « Furor profectò, furor, Davidis talenta Mosaicis æquare. » Summam ille reformat ad 1,275,000,000 auri, et totidem fortè argenti, quæ in unum collecta summam conficiunt 2,550,000,000. Josephus difficultatem extorquendâ à lectoribus fidei eâ de re sentiens, relictam à Davide ingentem auri vim, ac centies mille talenta argenti annotans, cætera omittit (1). Eupolemus apud

(1) Joseph. Antiq. l. 7, c. 11: χρυσόν τε

Euseb. Præp. l. 9, c. 54, redigit talenta illa ad siclorum valorem, ut pro 100,000 talentis auri et 1,000,000 talentorum argenti, par numerus siclorum auri argenteque supputandus sit. Nec sanè major summa, juxta quosdam interpretes, ædificando templo exigebatur.

Maluerunt alii, pondus sanctuariorum, de quo apud Moysem, duplò pondus commune, de quo in præsentiarum, excessisse. Addunt, talentum auri aliud esse pondus quam argenti; et argenti siclum duplò aureum excedere. Jacobus Capellus distinxit talentum statmicum, nempe Mosaicum, à numismatico, quod vocat, minori sanè pondere, et pretio inferiori. Stanislaus Græsepius, de diversis Siclis, non duo solum talentorum genera invenit, nempe commune et numismaticum, quod sextam tantum partem prioris, et duodecimam talenti sanctuariorum continere censet; sed et alia plura distinguit, nempe publicum, privatum, regale. Addit insuper, decimam, qua duodecimam, centesimam et millesimam talenti partem talentum sine addito nuncupari. Ita planè amplam sibi viam instruit variis variorum conjecturis, summam auri Davidici supputantium, adoptandis.

Inter omnes constat talenti nomen non æquale semper pretium indicasse apud varios populos penes quos obtinebat. Ægyptium 80 librarum pondus retulisse ferunt Plinius l. 53, c. 5, et Budaëus, de Asse; Romanum 70; Siculum sex drachmis valebat; Etruscum 120 libris; Syrum pondere erat 15 librarum cum 7 uncis et 4 drachmis; Ægneticum decem drachmarum; Alexandrinum 31 librarum cum tribus uncis; Atheniense 60 minis valebat, vel 600 drachmis. D. du Cange observat, nomen talenti usurpari interdum pro centum libris, quandoque pro quinquaginta, et adhuc pro marcho viginti solidorum. Homerus tradit Iliad. 4, proposita ab Achille pro ludis Patrocli in præmium feminae et tripodem; deinde pro secundo premio, equam mulo foetam; tertio novum ahenum; quarto loco duo auri talenta. Erat igitur horum talentorum (ultimo quippe loco propositorum) minor quam cæterorum omnium valor. Ibidem etiam in præmium cursus largitur 1^o ingentem argenti craterem, eximii artificii, et capientem sex mensuras; 2^o vitulum saginatum; 3^o didimum talentum auri, quod sanè minus valebat quam bos. Virgilius duo talentorum genera, majus nempe et minus, distinguit. Æneid. 2:

πολὸν παρασκευασμένην, καὶ ἀργύριον ταλάντων μύρια δακ δίδει.

Argentum magnum dat ferre talentum.

Vox Hebraea כֶּהָרִים *kikhar* exprimit massam, sive tortulam auri, argenteive. David imposuit sibi diadema, è capite regis vel dei Moabitarum detractum, quod talenti erat pondere, 2 Reg. 12, 50; 1 Paral. 20, 2. Quis autem facile credat, sustinuisse regem in capite 125 libras Romanas? Merito igitur cum Budæo inferendum videtur (1), talentum Hebraicum, quemadmodum et cætera aliarum gentium, non ejusdem semper fuisse rationis ac pretii. Hæc potissime afferuntur rationes pro minnendis Davidis thesauris, et ad æquiores summam pecuniis illius omnibus redigendis.

Sed eas nihil morati vulgò interpretès, omnes totam sacri textus historiam ad litteram recipiendam censent. Verum quidem est, plures inter illos leviter rem perstrinxisse, neque id contulisse sedulitatis et curæ, quod cæteri de ponderibus et re nummariâ scribentes: sed alii vicissim plures hinc sententiæ accesserunt, non planè imparati, et rei nummariæ licet instructissimi, adhuc tamen litteram textus excipendam censuerunt, quin prodigiorum numero tantam divitiarum vim crederent adscribendam. Villalpandus, quem sanè virum imprudentem quidpiam effutisse accusaverit nemo, non tantum expressas in Scripturâ pecuniarum summam recipit omnes; sed multum etiam adjecisse de suo Salomonem in edificio ejusdem templi putavit, tomo 3, parte 2, lib. de Pond. et Mens. c. 55. Impendisse enim credit Salomonem centum et octo millia talentorum auri (2), et decies centena millia talentorum argenti (3); quæ tanta auri summa erogata statuitur in uno templi edificio, omissis pecuniis ad mercedem et victum artificum, et impensas exoticas. Quare si totum illud aurum in massam conflatum in quadratum cubitum redigeretur, tanta ejus esset moles, ut vix eam caperet conclave decem cubitorum in quadrum, et quinque in altum; argenteum verò in similem massam reductum, facile totum Sanctuarium occupasset, quod viginti cubitis quaquaversum porrigebatur. Addit idem auctor, adhibitos ad structuram templi 401,900 artifices, ex Israelitis, Tyriis, Sidoniis, Ægyptiis conductos, quibus, post absolutum opus, atque congruam mercedem

(1) Budæus lib. 4 de Asse, fol. 110 editionis Ascensian. : « Talenti significationem non unam fuisse apud Hebræos puto, quomodo et apud alias gentes nonnullas. » Vide, si placeat, Brevevood, de Ponderib. c. 6.

(2) Reddunt, juxta ejus supputationem, 1,817,651,024 aureos monete Romanæ.

(3) Reddunt, 1,465,450,000.

solutam, decem sicli aurei muneris loco adjecti sunt (1). Præter hæc Tyriis opificibus annuatim solvebantur 602,850 cori (2) frumenti, totidem hordei, et mensuræ vini (3), ac totidem olei sata (4). Eadem æquâ proportione Sidoniis et Ægyptiis assignata, sive auro, sive quæcumque demum ratione solvenda. Mensæ regis Tyri conferebat vicies mille mensuras frumenti et olei vicenas 2 Paral. 11, 40. Singula fere prosequitur Villalpandus, quæ nos ultrâ præterimus, ne ab argumento plus nimio abducatur. Monendum tamen censemus, nihil legi in Scripturâ de opificibus Ægyptiis, neque de siclis aureis post absolutum opus singulis operariis adjectis. Hæc ab Eupolemo narrantur loco superius indicato.

Quæ de inæqualitate talentorum apud varias gentes adducta sunt, nihil pro Hebræorum talentis probant; neque enim vestigium ullum deprehenditur, sive in Scripturâ, sive in historiâ, varia apud eas gentes, saltem ante captivitatem Babyloniam, obtinuisse talenta, et apertissimo librorum Mosaicorum testimonio, nempe Exod. c. 38, v. 25, 26, probatur, Hebraicum talentum valuisse ter mille sicli. Exemplum Davidis, qui capiti imposuit diadema talenti pondere, nihil probat, cum fortè diadema illud in aere suspensum solio imminens teneretur; velsaltem valore erat talenti, quippe quòd divite genarum thesauro ornaretur. Cætera omnia loca, ubi sermo est de talento, ingentem eo nomine summam exprimi demonstrant. Amasias rex Juda exercitum emit à rege Israelis 100,000 hominum, soluto pretio centum talentorum, 2 Paral. 25, 6. Profectò, si talentum minus valuisset quàm ter mille sicli, quantum in singulos milites impendisset? Ammonitæ pro conductis 52,000 curribus, seu facile 52,000 equis currum trahentibus, simulque copiis Mesopotamiæ, in regionibus Macha, Robob et Soba collectis, solverunt mille argenti talenta, 2 Reg. 10, 6; 1 Paral. 19, 6, 7. Amri rex Israelis duobus auri talentis montem emit, in quo urbem Samaritam edificavit, 5 Reg. 16, 24. Cùm Sennacheribus ab Ezechia exegisset trecenta talenta argenti et triginta auri, plus

(1) Decem sicli aurei summam conficiunt circiter 116 librarum.

(2) Corus capit 298 pintas cum dimidia, semisextarium, et plus aliquid.

(3) Mensura, sive bathus, continet 99 pintas cum dimidia, semisextarium, et plus aliquid.

(4) Sata continet 9 pintas, ac dimidiam, semisextarium, quartam parte partem; quatuor pollices, et plus aliquid.

ille rex ingenti summâ conficiendæ non æraria modò regia et sacra excussit, sed laminas etiam aureas evulsit, quibus templi fores vestiebant, 4 Reg. 18, 15. Giezi postulatum venit è Naamano, falsò obtendens Elisei nomen, 4 Reg. 5, 22, duo argenti talenta, quæ Naaman deferenda tradidit duobus domesticis suis, duplici sæculo onustus. Profectò, si ea pecuniæ summa et pondus minora fuissent quàm quæ Giezi sustinere posset, conducebat viro secum omnia ferre, ne fortè res in cognitionem Elisei veniret. Captæ à Nechoo rege ægypti Judææ tributum imperatum est centum talentorum argenti, et unius ex auro, 4 Reg. 23, 55, 55, quam summam ut conficeret Joakim, extraordinarium veitigal imponere populo, ut pro viribus quisque solveret, coactus est. An et Scriptura hæc narrare, et rex ad eas angustias redigi potuisset, si talentum multò minus fuisset quàm Mosaica? Manahem rex Israelis annum tributum mille talentorum Phul regi Assyriæ solutus, 4 Reg. 15, 19, quinquaginta sicli ditissimos quosque suæ ditionis, cæteros verò singulos pro eorum facultatibus, censuit. Talentum igitur Hebraicum modicam illam summam profectò non conficiebat, quam contrariæ sententiæ auctores comminiscuntur; neque vari apud illos fuisse valoris vel legitimæ unquam, vel conjecturæ assequimur, cum semper ingentem pecuniæ summam reddat.

At enim talentorum Davidicorum summa immanis erat, et multò quàm quæ edificando templo, exigeretur, major. Grandem fuisse pecuniâ fatemur, sed impensis non sanè minoribus æquanda erat. Profectò, si totum illud aurum argentumque, auctore Villalpando, pro interioribus templi ornamentis, sacrisque vasis erogatum fuit, tantum abfuit, ut David majora sumptibus præstaret, ut multò etiam minora reliquerit. Sed esto, concedamus Brevevoodo, hanc auri argenti que immensam vim auro argenteo ve penitus templo, æquè ac Salomonico Augusto, confundo satis futuram: nomen ex his pecuniis merces pendenda erat infinitis propemodum artificibus, integro septennio in opus insudantibus? Quantum planè solvendum pro rebus venendis, pro lignorum strue, lapidibus, marmore, gemmis, aliisque, quæ non nisi experti omnia scire potuissent? Si dimidium hujus thesauri hinc erogatum dixerimus, minus fortè quàm res tulerit, concedamus: tunc autem negotium duplò minoris difficultatis Brevevoodo fiet, atque æquioribus

oculis summam duplò minorem respiciat.

Reponit fieri nunquam potuisse ut David, nullis avitis facultatibus locuples, in angustissimo regno tantam auri vim cumulare; sed animadvertisse oportuit, ditius virum regnasse, longè latè que terrorem sui nominis, atque arma et victorias, ac tandem imperium prorogasse. Ditissimos populos habebat tributo obnoxios, nec sanè multum suis commodis insumebat, ac vicissim multa ex gregibus, agris, vineis, olivis referebat. Regnum prorogavit ad quadraginta annos post obitum Saûlis; et superstite adhuc Saûle, ipse validè sibi manu adjectâ, hostilem regionem non sine ingenti prædâ excurrebat, 4 Reg. 27, 8, 9. Jura dedit deinde tribui Juda Hebrone, integro sexennio; successit regnum in universum Israelem per triginta et quatuor annos. Toto eo temporis spatio nihil sibi permisit reliquum cogendis pecuniis, quibus tunc maxime totum impendit, cum ædificandî templi Domini consilium cepert, quamquam honorem illum servari filio, Domino revelante, didicerat. Bellum intulit Syris, Philistæis, Ammonitis, Moabit, Idumæis, et nunquam adversam fortunam expertus est. Regrediebatur enim semper non gloriâ modo, sed spoliis superatorum regum direptis, raptisque eorum thesauris ovans. Hæc enim constituta tempore belli lex erat, ut devicti regis thesauri, et tota hostilis regionis prædâ, quin et captivi, ipsi, victori regiminerent. Victos enim hostes veluti captivos habebant, quibus cæ tantum conditione vita servabatur, ut tributa nec modica planè solverent. Sed quamnam regiones illic victori tributa pendentes? opulentissimæ sanè, et plerumque metalli fodinarum feracissimæ. Arabiam totam sibi fecerat veitigalem: quis autem regionis illius, ac maxime Arabiæ Felicis, Idumæis (1)? In Idumæâ celebrantur apud profanos, etiam usque post Jesu Christi ætatem fodinæ Phunon; celebrantur et Phœnicæ à Moysè indicatæ Deut. 35, 23, et successu temporis à SS. martyribus frequentatæ, Euseb. Hist. eccl. Cùm tandem superato rege Adarezero totam Syriam ditioni suæ David adjecisset, immanem ex illâ metallorum vim reduxisset, Scripturâ testante 2 Reg. c. 7, v. 7 et 8, intelligimus. Eodem fato subjecti sunt populi transephratæ, federe juncti Syris et Ammonitis. Tradunt

(1) Plin. l. 6, c. 28: « In universum gentes ditissime, ut apud quas maxime opes Romanorum Parthorumque subsident, »

Rabbinii Davidem è subactâ Mesopotamiâ auri argenteque vim ingentem traxisse, quod et subobscure indicat Scriptura 2 Reg. 10, 18, 49, ferens hunc regem prælio vicisse ac subegisse Syros de *Rohob* et *Soba*. Quoad opinionem illam Rabbinorum vide Siphre fol. 58; Maimonidem, *Illicho Theromi* Th. cap. 1, Halac III.

Profectò, si omnia hæc cumulentur, tributa nempe subjectarum gentium, spolia regum, regni sui jura, et Israelitarum vectigalia, rei familiaris parcimonia, cui per eam atalem non privati tantum, sed principes ipsi studebant; si, inquam, hæc omnia simul spectentur, monstri loco facillè non habebitur, si immanes hosce thesauros comparasse David asseratur. Si quis conferat inter se tributa in Scripturâ descripta, tum et illa quæ à devictis gentibus rex exegisse creditur, is facillè intelliget, eâ solâ ratione divitias in immensum crescere potuisse. Manahem rex Israelis argenti talenta mille Phul regi Assyriorum pendebat, 4 Reg. 15, 16. Arabes, ea nempe Arabiæ portio, quæ ad oram meridionalem maris Mortui pertinet, tributum solvebant Josaphato 700,500 arietes, et hircos totidem, 2 Paral. 17, 14; Ammonitæ Joatham regi Juda centum talenta argenti, et decies mille mensuras frumenti, et hordei totidem, ibid. 25, 5. Rex Assyriæ tributum imperavit Ezechie tracentia talenta argenti, et triginta auri, 4 Reg. 16, 7, 14. Rex Moab tributum dabat regi Israelis centies mille agnos, et totidem lanigeros arietes, ibid. c. 5, v. 4. Quid autem Ammonitarum, Moabitarum, Israelis etiam et Juda seorsum spectatæ ditiones cum latissimo Davidis regno? Sub eo etenim principe, promissa Abrahamo à Deo ditionis fide solutâ, 4 Gen. 15, 18, totus fuit tractus inter Mediterraneum et Nilum, ut ipsâ hostium Judaici nominis confessione post plura secula adhuc fama Davidis et Salomonis, tanquam potentissimorum regum, qui fines regni sui usque ad Euphratem prorogaverint, maneret (1). Scimus etiam ex lib. 2 Reg. 16, 19, et psalmo 49, Mesopotamiam ipsam habuisse; quâ etiam de re conveniunt Rabbinii supra citati.

Recitantur in Scripturâ nomina præfectorum Davidis, quibus regiæ gazæ œconomia commissa erat; unde non futilis conjectura ducitur de immanibus ditissimâ illius regis re-

(1) 1 Esdr. 4, 20: *Nam et reges fortissimi fuerant in Jerusalem, qui et dominati sunt omni regioni, quæ trans fluvium est; tributum quoque, et vectigal, et redditus accipiebant.*

ditibus. Erant enim præfecti qui agriculturam curabant; erant et super greges boum, caprarum, ovium, camelorum, asinorum, super vineas etiam, oliveta et ficus. Studebant autem illi, ut agrorum cultura procederet, stata nempe servarentur tempora, et maturi fructus colligerentur; vinum et oleum probè servarentur, ac tandem suo venderentur tempore. Diutinis operis colebantur à subtilis agri; quod unum erat ex iuribus regum à propheta Samuele diductis, 4 Reg. 8, 12. Præter hæc diurna subditorum servitia, pendebantur regi decimæ fructuum et frumenti. Eupolemo etiam auctore jam memorato scimus; Davidem instructas classes misisse *Urphen* in mari Rubro, unde aurum referebat. Tandem ille nunquam thesauros suos aliâ dextravit; frugi enim erat et modestus: *Magnam vectigal parcimonia*.

Quò autem accuratius aliquid de rebus Davidis intelligamus, thesauros Salomonis, de quibus in Scripturâ nonnihil, mente versare oportet. Porrò ille neque potentia erat majori, neque parcimonia; regnum, quale à patre acceperat, servabat; singulis autem triennis classem mittebat in Ophir, quæ dives revertebatur 450 talentis ex auro, lignis, avibus et rarissimis animalibus. Sed hæc Salomonis præfecti non gratis comparabant, à pretio auri, sive mercium permutatone.

Si autem fides sit Eupolemo, paria saltem David præstabat, cum et ipse classes suas mitteret in Ophir, aurum solummodò referentes, neque enim ipse curiosis aliis mercibus studebat. Si verò huic auctori, ex Scripturâ silentio, fides denegetur, æquum est tamen fateamur, Davidem eas res in suâ regione vendidisse, quas Salomon in alienas regiones mittebat. Si quis immanem illam frumenti, vini et olei copiam, quam Salomon Tyriis cæterisque opificibus templi solvebat, venditioni exposuisset, quos sanè non retulisset thesauros? Patebat Davidi Mediterraneum, ubi tutum commodumque detineret commercium cum Phœnicibus, Ægyptiis, Syris et Philisthæis, ex quo facilis erat via vendendi non infimo pretio camelos, asinos, boves; oves, vinum, frumentum, oleum, fructus, non è suo fundo tantum, sed etiam ex tributis collecta.

Irrefragabili Scripturæ testimonio comperitur est, tantum opes Israelitarum sub Salomone crevisse, ut argentum in diebus illis pro nihilo reputaretur, 2 Paral. 9, 20, et tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta et la-

pidam, ibid. v. 27. Sint autem hæc per exaggerationem et hyperbolice dicta; re tamen immanem regni opulentiam produnt, satisque demonstrant, satis fuisse tunc temporis vulgare in eadem regione argentum. Sed nec obscuro sunt hæc indicio, Davidem tantam comparasse opum vim, quæ regni miram illam opulentiam faceret. Qui enim fieri potuisset unquam, ut Salomoni omnia suppeterent, quæ nempe profunderet in ædificia, exercitus, currus, domesticos, utensilia, hortos, equos, mensam item regiam, uxorum copiam, quas totidem reginas dixisses, Cant. 6, v. 7, et erga quas aded ferebatur; qui, inquam, fieri potuisset, ut post ingentes aded sumptus, adhuc tamen tot tantique superessent thesauri, nisi immensi penè ex patriâ hereditate filio provenissent? Neque enim filio major erat quam Davidi ditio, ampliores fundi et proventus. Quanta quanta autem esset regis opulentia, adhuc tamen vastissimo operi imparia fuerunt regis æraria, cum in ipso ædificandi ardore centum et viginti talenta ab Iliro rege Tyri mutuo acceperit, 5 Reg. 9, 14, et post obitum Salomonis immo dicis vectigalibus oppressos se ab illo Israelitæ conquererentur, ibid. 12, 4.

Sed etiam ad proventus Salomonis explorandos propius accedamus. In 3 Regum 10, 14, hæc legitur: *Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum auri, excepto eo quod afferebant viri qui super vectigalia erant, et negotiatores, universique scruta vendentes, et omnes reges Arabiæ duceque terræ.* Hæc sexcenta sexaginta sex auri talenta reddunt 46,297,802 libras. Putat autem Villalpandus, de Templo, tantum auri ex tributis devictarum gentium collectum esse; quare, inquit, præter hæc, in æraria regia inferebantur singulis annis ex vectigalibus duodecim tribuum 441 auri talenta; insuper singulis triennis ex classe Ophireticâ accedebant 450, sive 420 talenta auri. Quid verò portoria Israelitici cæterorumque subjectorum regnorum, argenti ærisque fodinæ, mercium decimæ, proventus ex Arabia, atque ex præfectis provinciarum, qui sanè multum hæc omnia superabant? Quæ cum ita se habent, non planè invitè credimus, Davidem solido quadraginta annorum regni spatio potuisse centum millia auri talenta et decies centena millia argenti in regios thesauros inferre, cum et pares haberet redditus iis quos Salomon, et minores planè sumptus. Conferat ad eam rem testimonium Eupo-

lemi tradentis apud Euseb. præp. 1, 9, c. 54, impensâ à Salomone in opus duarum anearum columnarum et templi 4,600,000 talentorum auri, in clavos verò alioque opera 1252 talenta argenti, quæ planè summa relicta à Davide thesauros magnopere superat. Sed Villalpandus de Pond. disp. 4, l. 2, c. 55, utramque, et Scripturæ et Eupolemi, auctoritatem conciliat, annotans Eupolemem Græcum scriptorem talentum quidem argenti probè nosse, nescire verò quid rei esset aureum talentum, cujus nulla est apud historicos Græcos mentio. Quare cum de aureo talento agit, præ oculis habet talentum argenteum Atticum, ad auri pretium erogatus totum id quod in ædificium templi credivit esse. Talentum Atticum duplò minus erat Hebraico, atque duodecim argentea talenta aureum unum reddebant. Ita 4,000,000 talenta argentea Hebraica reddunt 2,000,000, et 100,000 talenta auri, per duodecim multiplicata, quò summa talentorum argenti reddatur; deinde tota summa duplicata, ut talentis Atticis respondeat, refert 2,400,000, quod cum Eupolemi calculis congruit. Si quis accuratius aliquid voluerit, auctorem adeat.

Uti ultima dissertationi manus imponatur, reliquum est, ut exempla similia, quin et majorum divitiarum afferantur. Quidni enim poterit David, quod alios, nihilò majori censu, potuisse constat? Sardanapalus rex Assyriæ, auctore Ctesia, in urbe metropoli obsidione arcissimâ clausus, cum ad ultimas angustias redactum se intelligeret, ingentem pyram incendit, qui quicquid divitiarum haberet, totum igne absumentum tradidit, ne quidquam in manus hostium veniret; deinde se in pretiosissimum rogam coniecit. Absumpta sunt eo igne 150 lecti auri, totidem aureæ mensæ, 4,000,000 talentorum auri, et decies totidem argenti, cum vestibus pretiosissimis, purpureis pannis, aliisque id generis. Præter hæc, inenite obsidione, filios suos è Ninive subduxerat, dato illis comenatu 5,000 talentorum auri. Exaggeret quis modò pro arbitrio ditionis hujus regis, et imperii Assyrii amplitudinem; contendimus enim, nihilò angustiore fuisse Davidicam ditionem, quæ insuper exquisitiori culturâ soli, et incolarum numero, Assyriam superabat. Fataletur Josephus lib. Antiq. 7, c. 12, neminem unquam orbis principem, sive apud Hebræos, sive apud externos, Davidicis locupletiores thesauros reliquisse. Insuper ibid. et l. 16, c. 2, et

lib. 1 de Bello, c. 4, testatur illatas in sepulchrum ipsius divitias planè ingentes, quae deinde effossas narrat.

Thesauri, quos inventos narrant in novo orbe, fidem sanè adstrunt his quae de thesauris Davidicis in Scripturâ narrantur. In urbe Peruanâ parietes templi aureis laminis obducti nitebant, quibus fulgor accedebat ex insertis smaragdīs et cyanis. Solis simulacrum fulgore pretiosi metalli oculos perstringebat; fons propè templum spectabatur, cuius tubi et urnae solido auro conflatae erant. Hortus templi in urbe Cusco, auro totus et argento distinctus; hisdemque nitebant metallis horti regia domūs in eadem regione. Innumerae enim propemodum arbores, plantae, flores, ex solido auro argenteoque dispositi erant, nec viliori metallo expressa reptilia, aves, et ejuscunq̄ generis animalia. Patebant campi aureis seminibus sati; totam verò ambiens messes aureas sepes, ex virgīs ejusdem metalli intertextae. Spectabantur statuae proceræ hominum utriusque sexūs et puerorum, horrea etiam aureum triticum contentia; omnia ex solido auro. Vasa templi caetero cuius respondebant; neque viliora instrumenta in usum agriculturam. Caeterum fana omnia urbis Peruanae nihil huic concedebant, uti et parum aberant regio Incasiorum aedes; ubi illud singulare spectabatur, quòd continendis lapidibus, pro cæmento, aurum, argentum et plumbum simul fusa fuerint.

Atabalpa, Peruanus rex, obtulit Pizarro Hispanorum militum imperatori, in suae redemptionis pretium, tot auri argenteique vasa, quot continere posset ea aula quò venerant collocaturi, vel, juxta alios, quot caperet atrium quadratum palatii *Caxamalca*; ad eam usque altitudinem cumulata, quò manus extensa pertingeret. Oblationem accepit Pizarrus, nec promissis defuit Atabalpa, quanquam nec his contentus Hispanus, urbe Cusco direxit, tantam auri praedam hausit ut magnoperè ipsam regis oblationem superaret.

Ædes magni Mogolis, teste Mandeslo, quatuor circiter leucarum circuitum habebant, nec regis aëria minoris, quàm 1,500,000,000 numerorum scutorum aestimabantur: proventus annui, juxta Herbertum, ad 250,000,000 pertingunt. Sinarum regi annuum census tribunt 150,000,000 scutorum; ac memoria proditum est à P. Grubero, in obitu ejus principis in eodem illius rogo cremari thesauros ipsius omnes, quos in obitu ejusdam è novis

simis regibus pervenisse ait ad 40,000,000,000 igne consumpta. Quae si vera sint, apertissimè planè demonstrant potuisse Davidem quadraginta annorum spatio centum millia auri talenta, et decies centena talentorum argenti cumulasse, in amplissimo planè regno, eoque ditissimo, tum incolis frequentissimo, post relatas maximè tam multas de hostibus victorias, et opima spolia, adjectis tributis, tantamque regis parcimoniam.

Nihil moror divitias totâ antiquitate celebratas, Midæ et Croesi; faciliè enim fabulosa vetustas adjecit aliquid veritati. Narrant nihilominus, et Cyrum, devictâ Asiâ, pondò (auri) quatuor et triginta millia invenisse, praeter vasa aurea aurumque factum, et in eo folia, et ac platanum, vitemque. Quâ victoriâ, argenti quingenta millia talentorum asportavit, et craterem Semiramidis, cuius pondus quindécim talenta colligebat. Plin. lib. 53, cap. 5. Apud eundem auctorem legitur laquearia, fornices aureos; argenteas trabes, columnas, pilas in ædibus Saluæ regis Colchidis.

Quod ferendum sit iudicium de thesauris regum Persarum, ex Athenæo, lib. 12, discimus. Assurgebat in regis aedibus aurea vitis et platanum, et in cubiculo ad regis cubilis caput, servabantur quinque millia talentorum auri, et in alio conclavi ad cubilis pedes, tria millia ex argento continebantur. Quotidie in aula regis impensis ac mensæ abebantur quindécim hominum millia, erogatis in eam rem quadringentis talentis in singulos dies, nempe 357,781,950 libris in singulos annos, et 925,450 in singulos dies. (Vide Athen. lib. 5, cap. 10, et Herodot. lib. 7, cap. 417, 418, 419.) Rex Artaxerxes, apud Plutarchum, vota nuncupans pro incolumitate Atossæ uxoris suae coram Junone, solemniter fidem suam, tactâ humo, quæ iurandi sollemniter est formula, obligavit, tantum se auri, argenti, purpuræ et equorum per manus amicorum et satraparum in sacra templi aëria illaturum, quantum interjectum inter templum et regis aedes spatium caperet. Porrigebatur autem spatium illud ad 16 stadia, nempe 575 passus.

Minor est hæc divitiarum narratio eâ quam de Alexandri Magni thesauris ferunt scriptores. Invictus ille rex, teste Q. Curtio, lib. 5, ex Damascenâ regione retulit his mille ac sexcenta talenta argenti signati, et pondus 500 talentorum rudis argenti, cum 7000 equis, sive mille onustis. Cum autem Susas venisset, oblata regi narrat Arrianus 1500 talenta ar-

genti cusi; addit Q. Curtius par argenti gravis pondus; sed Diodorus Siculus pervenisse hæc summam tradit argenti gravis ad 40,000 amplius talentorum, et auri in Daricos cusi ad 9000; Plutarchus verò habet 5000 talentorum argenti, et purpuræ ad 40,000 talentorum.

Occupata Persepoli, in regium aëriam illata sunt 120 millia talentorum, teste Diodoro et Curtio lib. 5, cap. 15. Ex Perside et Sisis renussisse illum 40,000 talenta, auctor est Strabò lib. 16, vel, juxta alios, 50,000. Sunt etiam qui scriptum reliquerint, totam argenti summam Ecbatana redactam, ascendisse ad 180,000 talenta, praeter id, quod Babylonem delatum est, et 8000 talenta à Darii interfectoriis sublata.

Post prælium ad Arbêlam, oblata sunt Alexandro 3000 talenta argenti, teste Arriano, vel 6000, juxta Curtium, in castris Darii inventa. Diodorus, lib. 17, testatur, in aëriis Ecbatanorum non minus quàm 120,000 talenta auri fuisse, eam Alexander urbem invasit. Plura etiam invenisse in thesauris Babylonis inde colligimus, quòd ex occupato ibi thesauro, singulis equitibus exercitūs sui rex sex minas, externis verò equitibus quinas, pedibus duas virgim distribuerit (1). His omnibus thesauris inspicendis triginta, vel quadraginta dies insumptos narrant. Accesserunt his sex millia talentorum argenti ex Pasergado rece-

(1) Minae valor 97 erat lib., 6 sol., 10 den. et dim. monetae nostratis.

pta. Erant Darii præterea septem vel octo millia talentorum ab interfectoriis ipsius regis sublata. Quaequam verò ea summa fuerit immiuta, adhuc tamen aëria victori reservarunt 15,000 talenta, ab Alexandro inter copias suas distributa. Praefectus Ægypti opima hæc spolia 800 talentis et omnibus suppellectilibus Darii cumulavit. Hæc omnia in unum collecta summam excedunt 185,000 talentorum argenti, reliquis thesauris Babylonem inventis et inter milites distributis, et 120,000 talentorum auri. Stylus deficit Polybio, lib. 10, magnificentiam pariter et superbiam regum Ecbatanorum descripturo. Cedro omnia et cupresso induebantur; auro etiam vel argento obducta erant trabes, laquearia, fornices, columnæ porticum, et peristylia; aurea et tegulae culminis. Harum laminarum plerisque ætate Alexandri Magni avulsis, plures etiam sub aliis post ipsum regibus manserunt; et Antiochus Epiphanes in templo deæ Anææ, sive Anaidis, columnas adhuc spectavit auro obductas, tegulas argenteas, lateres aureos et argenteos longè plures, quæ omnia in pecuniam, summâ 4000 talentorum, excutit.

Talenta illa Attica erant, nempe 2400 libra rum monetæ Gallicæ. Porrò omnia hæc exemplum, adjectæ et insuper amplitudine ditiosis Davidicæ, et aliis quæ regi suppetebant, cogendarum divitiarum commodis, lectores revocant ad fidem Davidicæ opulentiae, omnemque remouent à sacris libris suspitionem corruptionis et exaggerationis. (CALMET.)

DE TEMPLIS VETERUM

Dissertatio.

Nulla apud homines religio subsistere unquam potest sine cultu aliquo sensibili, externarumque caeremoniarum ritu, cuius exercitio, veluti tessera quoddam, veræ religionis cultores inter se convenientes ab exteris discernantur (1). Quare non immeritò credimus templa et loca religiosa, quò simul homines ejusdem religionis coeant, ipsi mundo æquæva, pares

(1) Augustinus, lib. 49 contra Faust. : « In nullum nomen religionis seu verum, seu falsum, consulari possunt homines, nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum visibili consuetudine colligantur. »

cum illo natus sortita fuisse; quippe que portio sunt religionis naturalis, atque supremi et absolutissimi hominum officii necessariae quaedam consecutiones.

Templorum tamen necessitas non quidem ex Dei naturâ, sive inopiâ aliqua, neque ex ipsius aliquo præcepto consequitur. Nam ea licet loca Numinis majestas insideat maxime, et clementia atque presentia suae majore ibi exhibeat documenta, detrahunt ceteroqui aliquid majestati et gloriæ, quæ simul omnia Numine suo implet, etiam nullis ex se limitibus